

72. *Quam ob causam etiam Formula Concordiæ phrasas illas loquendi, tanquam minus commodas & Orthodoxas rectissimè improbat ac rejicit, quibus simpliciter & sine ulla certâ explicatione aliqui dixerunt, hominis voluntatem, ante conversionem, in conversione, & post Conversionem Spiritui sancto semper repugnare: & Spiritum sanctum ijs dari, qui ex proposito & pertinaciter eidem resistunt. Item, Hominem non modò nihil agere in spiritualibus, nullumque agendi habere modum, quoad bonum: (id quod est Orthodoxum) sed repugnantem etiam converti, aut nescium saltem, quid secum agatur.*

73. *Neque enim sicuti certæ imago aliqua, sic cordi humano imprimitur conversio, sed (ut rursus Formulæ concordie verbis utamur) talis est per operationem Spiritus sancti immutatio in hominis intellectu, voluntate & corde, quâ homo, non quidem ex vi propria, sed ex gratia Spiritus sancti, oblatam gratiam apprehendit.*

74. *Nam Deus, ut D. Augustinus inquit, ex nolentibus facit volentes, & in volentibus habitat.*

75. *Et profectò nisi talis in voluntate hominis fieret immutatio ad bonum: sed stupor, violentia & coactio locum in ea haberet: jam utique*